UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt IX. Qui sint effectus & operationes harum trium viarum: Purgativæ, Illuminativæ & Vnitivæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

Tom. 2. profectu Spirit.

egregiè agit R. P. L. Granatenſis diverſis operum ſuorum locis, & de mortificatione R. P. Arias. Methodum orandi virtuteſque exercendi graphicè depingit liber quidam cui nomen *Ars Deo ſerviendi.* Qui Tractatus, piique libelli ab eo, qui in oratione proventum facere cupit, diligenter perlegendi ſunt, nec ullatenus mentis acies à continuo orationis, mortificationis, & virtutum exercitio unquam deflectenda. His enim deſtituta oratio, non oratio dicenda eſt, ſed ſomnus & dormitatio.

CAPVT VIII.

De triplici via, purgativa, illuminativa & unitiva, & ſtatibus correſpondentibus, incipientium, proficientium & perfectorum.

Conſulendus Ven. P. Dominicus à JESU-MARIA, *qui hunc triplicem perfectioniſ ſtatum in ſuo tripartito* Spiritua li ſenten tiario, à Gregorio XV. Pontifice, *plurimum commendato, diffuſius expoſuit.* Hunc triplicem ſtatum copioſiſſimè & doctiſſime etiam exponit in ſua *Summa Theologia myſtica* Philippus à SS. Trinit. *part.* 1. 2. & 3. Antonius à Spiritu S. in *Directorio myſtico Tractatu* 2. 3. & 4. & Dominicus à SS. Trinit. *To.* 7. *Bibliotheca Theolog.* Sect. 2. &

CVm doctrinæ morales eò plus ſoleant utilitatis afferre, quò propius particularia attingunt, viſum fuit expedire, tractatis generalibus orationis principiis, ad particularem inſtructionis hujus praxin deſcendere, aſſignando exercitia correſpondentia ſtatui, & directioni uniuſcujuſq; juxta gradum orationis quem tenet.

Notandum ergo eſt Chriſtianæ perfectionis finem ſitum eſſe in unione divina mediante charitate & gratiâ. At quia hæc charitas non æqualiter in omnium cordibus diffuſa eſt, cum intrà latitudinem ſuam multos gradus complectatur, aſſignant ſancti Doctores tres præcipuos Charitatis ejuſdem ſtatus, penes effectuum, quos in animâ operatur, diverſitatem diſtinctos.

Primus ſtatus, ſive gradus eſt incipientium, id eſt, eorum, qui quaſi modò geniti infantes, fiunt Filii Dei per adoptionem. Secundus Proficientium, qui jam vitæ ſpiritualis incunabula tranſgreſſi, in ætatem ſuccreſcunt diſcretionis. Tertius denique perfectorum, eorum nimirum, qui ad virilem, de quâ agimus ſpiritualis vitæ pervenerunt, maturitatem. Triplici enim hominis ætati tres hoſce gradus comparat *S. Thom.* Inchoantium quidem, parvulorum adhuc rationis uſu carentium; proficientium eorum, quibus ad res cognoſcendas rationis & diſcretionis lux oriri incipit; perfectorum verò ætati jam virili, in quâ naturæ humanæ perfectio ſita eſt. *S. Bernardus* primam ætatem vocat animalem propter exiguam, quam tunc homo habet de divinis rebus notitiam. Secundam rationalem; tunc enim mentis intuitum in DEUM figere incipit, & ea quæ ſunt divina cognoſcere. Tertiam ſpiritualem; quâ homo jam in ſpiritu ambulans, non ſolum ſenſuum, ſed rationis quoq; humanæ capacitatem tranſcendit. In primo ſtatu DEUS hominem à malo, atque capitali ſuo inimico peccato avertit. In ſecundo ad bonum amplectendum inducit. In tertio, in bono jam adepto reddit ſtabilem & perfectum. Agit enim DEUS hac in re non aliter atque agens aliquod naturale; ignis enim, verbi gratia, primùm qualitatem ſuam calorem in lignum introducit, frigus expellit, calorem intendit, paulatimque lignum ad ignis formam diſponit, donec tandem ultimâ diſpoſitione poſitâ in ignem tranſmutetur.

Pari ratione tribus hiſce ſtatibus, tres viæ correſpondent: Purgativa, illuminativa & unitiva. Purgativa, quâ à peccatis purgentur, Incipientium eſt. Illuminativa, quâ virtutes acquiruntur, proficientium; Unitiva, quâ DEO fervidis actibus amoris uniantur, perfectorum eſt. Priuſquam enim anima ad viam unitivam, in quâ perfectio charitatis reperitur, perveniat, neceſſe eſt, ut per viam purgativam, veteres maculas emundando, incedat; ab hac illuminativa virtutum acquiſitione pertranſeat, tandemque DEO magis magiſque adpropinquans, ad amoroſam animæ ſuæ in DEUM transformationem, quæ in via unitiva conſummatur, pertingat. Quorum quidem non alia convenientior aſſignari poteſt ratio, niſi quod amor tria exerceat officia, ita ſibi mutuo concatenata, ut unum ex altero naſcens, alterius ſit diſpoſitio atque origo. Primò ergo amor afficit & movet amantis voluntatem. Secundo eam rei amatæ aſſimilat. Tertiò unit atque transformat amantem in rem amatam. Quæ omnia triplici hâc viâ exercet amor noſter, DEUS noſter: Primum enim movens atque afficiens ſui amore animam, per veram contritionem ab omni peccato & deformitate emundat; Deinde variis virtutum perfectionibus adornando magis divinæ majeſtati ac decori ſimilem ac conformem reddit. Denique totaliter ſibi aſſimilatam in ſeipſum transformat. Non ſecus ac in vetuſto ferro ignis primùm æruginem expurgat, frigus expellit, naturali ſuo inducto calore ferrum ſibi aſſimilat, donec emollitâ duritie, integrè accenſum ac intimè unitum, perfectè in ſe transformet.

quinque ſeqq. aliaque noſtris. 2. 2. q. 24 a. 9. *Ep. adv. de monte Dei.*

S. Bonavent. tres hoſce gradus, quos divina gratia ſecundùm uniuſcujuſque profectum operatur conſiderans, tres quoque diverſas operationes, & officia gratiæ & charitatis in anima aſſignavit. Primum, inquit, eſt *vigor virtutis.* Secundum, *ſplendor veritatis.* Tertium, *fervor charitatis.* Primū vocat *virtutis vigorem*, quo nimirum anima per virtutem gratiæ ab omni peccatorum labe emundatur, qui propriiſſimus eſt viæ Purgativæ (quâ anima totaliter purificari debet) effectus. Quia verò hoc particulare opus eſt dexteræ excelſi, *vigorem virtutis* nuncupavit. *Splendor veritatis*, ad viam ſpectat illuminativam, quâ continuâ paſſionum mortificatione, & pleniori DEI cognitione, majorem lucem anima acquirit; *fervor* denique *Charitatis*, propria eſt viæ unitivæ operatio, quâ anima totaliter in DEUM transformata unum quid cum eo efficitur.

CAPVT IX.

Qui ſint effectus & operationes harum trium viarum: Purgativæ, Illuminativæ & Unitivæ?

VArii ſunt ac multiplices harum trium viarum effectus & operationes, licèt omnes ad unum eundemque finem ordinentur. Purgativæ imprimis officium eſt, purgare & perficere ſenſus: Illuminativæ rationem. Unitivæ ſpiritum ſive mentem ſuperiorem, nimirum animæ portionem. Primùm enim DEUS hominem ſub peccati tyrannide militantem ſuo volens ſubjicere imperio, atrium veſtibulumque animæ exteriùs, ſenſus externos dico, totamq; inferiorem ſenſitivam partem debellat, ac deinde murum & mœnia Civitatis, rationem, ipſamque civitatem, intellectum. Denique & civitatis arciſque humanæ Reginam voluntatem ſuo captivat dominio, atque ita tandem prædictas hominis vires per peccatum labefactatas deſtructis peccati vinculis mirum in modum purificat atque fortificat. Vires, inquam, iraſcibilem & concupiſcibilem, inſpiratis ex divinæ potentiæ, juſtitiæque conſideratione humilitatis contritioniſque actibus. Rationem, quâ accuratè divinam ſapientiam agnoſcat, illuſtratione. Voluntatem verò purum ei infundens ſuæ boni-

taʃiʃ

tatis amorem, perfectionum ſuarum particulari communicatione in purgativa omnipotentiæ, in illuminativa ſapientiæ, in unitiva bonitatis, mirum in modum reſtaurat & reædificat.

Purgativæ finis eſt, per doloroſam cordis compunctionem peccatum expellere: unde & pro principali objecto habet animæ puritatem; Illuminativæ eſt veritas & cognitio Dei; Vnitivæ Amor. Purgativa appropriatur Patri ſicut & potentia, & juſtitia. Illuminativa Filio, tum quia eſt æterna DEI patris Sapientia, tum quia præcipua viæ hujus exercitia ad Chriſti imitationem ordinantur. Vnitiva Spiritui ſancto, cujus effectus eſt ardor amoris, incendium charitatis. In viâ purgativâ homo acquirit cognitionem ſuiipſius, in illuminativâ DEI, in unitivâ in amoroſam illam & feliciſſimam animæ ſuæ cum DEO totis viribus tendit unionem. Univerſa autem harum viarum ac totius orationis exercitia, & omnem vitæ ſpiritualis ſubſtantiam, *S. Bonavent.* tribus hiſce punctis complexus eſt. Primùm, quid ſit DEUS. Secundùm, quid ſit homo. Tertium, qualiter hæc duo copulanda ſint, per amorem ſcilicet ac omnimodam amantis cum re amata unionem.

Lib. 10. de parvo bono.

Dux noſter in omnibus iſtis viis erit nobis Chriſtus Dominus. In Purgativa per vivam dolorum & acerbiſſimæ Paſſionis illius repræſentationem, nos ipſos ad compaſſionem & peccati pro quo tanta paſſus eſt, ex toto corde deteſtationem excitando. In Illuminativa heroicas Chriſti Domini virtutes ferventi ſtudio imitando. In unitiva infinitum illius erga nos amorem amore perfecto reciprocando. Tres quoque juxta tres prædictas vias SS. PP. virtutum ſtatus diſtinxêre, ceu gradus, quos gradatim aſcendens anima ad ſupremum perfectionis culmen perveniat. Primus eſt virilis & conſtans determinatio relictis vitiis virtutem amplectendi, violentaque ſuiipſius mortificatione arctam ſalutis ſemitam nunquam uſque ad virtutis perfectionem derelinquendi. Qui ſtatus vocatur continentium, quia ſcilicet continuò cum ſuis paſſionibus belligerantes interdum victi, interdum victores evadunt. Et hi prima virtutum limina nondum prætergreſſi in viâ purgativâ verſantur.

Alter ſtatus eſt eorum, qui ita altas egerunt in virtute radices, ut in variis tentationum & difficultatum certaminibus, à paſſionibus ſuis nequaquam ſive ſaltem raro ſuperentur, ſuntque hi, qui jam virtutes acquiſiverunt, quibus ac quotidianis ipſarum actibus expeditiores ac fortiores effecti, eò frequentiùs victores evadunt, quò perfectiorem virtutis gradum obtinuerunt. Qui ſtatus virtutum, viæ eſt illuminativæ.

Tertius denique eſt, cùm virtus priùs amara & difficilis propter naturam originalis peccati vitio depravatam, jam incipit dulceſcere & cordi ſapere, ipſique virtutum actus, cum interno quodam guſtu & alacritate exerceri, quando (ut ajunt) virtus tranſit in affectum cordis: Unde hic gradus viæ unitivæ correſpondet, ubi verus puruſque amor omnia facilitat, & ſapientiæ, quo medio tunc anima agit, donum cuncta etiam aſperrima & amariſſima, reddit dulciſſima, ut fuſiùs docet *S. Bernardus.*

Ser. 85. in Cant.

Advertendum tamen eſt, quod licèt tres haſce vias ſecundùm tria diſtinguamus officia: puritatem ſcilicet, lucem, & amorem, non id ita intelligendum eſſe quaſi in una harum viarum exercenda non eſſent reliquarum exercitia: Conſtat enim in Purgativa non ſolùm reperiri dolorem, & vitiorum expurgationem, ſed etiam lucem, & amorem. In illuminativa lucem, purgationem & amorem, quæ etiam eminentiori quodam modo in unitiva reperiuntur. Vnicuique tamen ſtatui ſuum particulare aſſignavimus exercitium, tanquam magis proportionatum, illiſq; qui in eo verſantur ſæpiùs frequentandum: ita tamen, ut in ſingulis ſtatibus, & viis, tria trium includantur viarum officia: purgatio, lux, & amor, tantò quidem ſublimiora, quantò à viâ ſublimiori procedentia. Imò quemadmodum in tribus iſtis viis talis ordo eſt, ut primum ſit purgatio. Secundò, lux. Tertiò, amoris transformatio; ita quoque intra uniuſcujuſque viæ limites primum exercitium eſſe debet expurgationis. Secundum, lucis. Tertium, unionis ſive amoris, ut ex ſequentibus manifeſtum fiet.

Illud interea annotetur, viam quamlibet cæterarum viarum exercitia ad ſpeciale ſuum officium ordinare debere: Purgativam, lucem & amorem ad purgationem: illuminativam, amorem & purgationem ad lucem: Vnitivam, puritatem, & lucem ad amorem, ſicque in ſingulis ſtatibus reperietur quoddam principium, medium, & finis, ceu gradus minoris & majoris perfectionis. Quæ omnia, Deo favente, oſtendemus, ubi ad ſingularum viarum exercitia in praxin deducenda pervenerimus.

CAPVT X.

De exercitiis viæ purgativæ, ſive incipientium.

PRimum viæ purgativæ, teſte *S. Bonavent.* officium eſt, propriæ miſeriæ deploratio & divinæ miſericordiæ imploratio: Qui enim viam purgativam ingrediuntur debent primò ſua peccata plangere, deinde DEI miſericordiam humiliter exorare. Quocirca attentè conſiderabunt ſuorum peccatorum enormitatem & gravitatem; ad veram concipiendam de iis pœnitentiam & dolorem, & obtinendam à DEO remiſſionem. Sic pœnitentiæ verum exemplar David: *Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.*

3. part. Breviloq.

Pſal. 50.

Peccati gravitatem præcipuè ponderabunt, quod gratiam, charitatem, virtutumque cæterarum dona, juſque hæreditatis noſtræ ad cœleſtem gloriam, infernali ſuo veneno diſperdat, quodque his omnibus majus eſt, inimicitiam DEI odiumque involvat, tantamque & tam gravem injuriam quantam nulla creatura in DEUM committere poteſt. Et quis innumera, tum temporalia, tum æterna, quæ ſecum peccatum adfert explicare ſufficiet damna? conſcientiæ remorſum, animæ continuam inquietudinem, condemnationem æternam? ſed & ipſe ſolus horror, fœditaſque peccati, gravitatem ipſius ſufficienter demonſtrant.

Ex hac enormitatis ſuorum peccatorum ponderatione, conabuntur de offenſo DEO verum dolorem & contritionem elicere, de offenſo (inquam) DEO potiùs, quàm ob metum inferni, aut alicujus alterius rei. Quamquam enim non inficiet, attritionem ſeu imperfectum illum, ob formidinem gehennæ infernalis de commiſſis peccatis dolorem, cum Confeſſionis Sacramento ad gratiam ſufficere, quilibet tamen conari debet eum concipere dolorem, qui ad veram contritionem pertingat. Hæc enim efficaciâ ſuâ animam purgat, & emundat à vitiis, & eſt baſis, fundamentum & ſubſtantia viæ totius purgativæ.

Proprium itaque incipientium exercitium eſt, dolor intimus, lachrymæ, gemitus de peccatis com-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN